INDICES SCHOLARVM

QVAE

AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

FRIDERICI GVILELMI IIII.

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA
RHENANA

PER MENSES HIBERNOS A. CIↃIↃCCCLVI. ET LVII. 1856-7

A DIE XV. M. OCTOBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR.

Fr. Ritschl Disputatio de M. Varronis hebdomadum
sive imaginum libris

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGII.

QVAE

AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

FRIDERICI GVILELMI IIII.

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA
RHENANA

PER MENSES HIBERNOS A. CIƆIƆCCCLVI. ET LVII. 1856/57

A DIE XV. M. OCTOBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR.

Fr. Ritsch Disputatio de M. Varronis hebdomadum sive imaginum libris

---

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGII.

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE
RHENANAE
RECTOR ET SENATVS
COMMILITONIBVS
S.

M. Varronis libri qui inscribuntur hebdomades vel de imaginibus (verba sunt Gellii III, 10) quid dotis litteratae habuissent, breviter disputatum est Musei nostri philologici vol. VI, p. 513 sq., quo autem ordine viderentur dispositi fuisse, futurae quaestioni reservatum. Idque bene factum: nam cum, ut tum res erat, Imaginibus Hieronymus non posset non credi unum et quinquaginta libros tribuere, fallacissimo fundamento omnis superstruenda disputatio fuerat. Soli enim calami errori Thomae Phillipps, cui Catalogi Hieronymiani exemplum acceptum referebatur, illum numerum deberi paullo post intellectum est, cum Augusti Schleicheri nostri beneficio investigatus in bibliotheca Atrebatensi codex Origenis non LI, sed XV libros Varronianos monstravit: id quod non sumus cunctati publice narrare in prooemio scholarum per hiemem anni 1849. in hac universitate habitarum. Fidem Schleicheri non egentem firmamento confirmavit nuperum testimonium I. B. Pitrae, ordinis S. Benedicti e congregatione Gallica monachi: qui prorsus ignarus nostrae industriae Hieronymi indices ex Atrebatensi libro denuo vulgavit in Spicilegii Solesmensis tomo III. proximo anno Parisiis prodito, a p. 311, simul adnotatione adiecta, e qua nos quidem in Germania nihil discamus nisi quam multa non didicerint qui easdem nobiscum litteras trans Rhenum tractant.

De ordine autem librorum Varronis ut ordine quaeratur, a Plinianis verbis quamvis decantatis ordiendum est quae sunt in Naturae historiarum lib. XXXV, § 11. (paragraphos Silligianas sequimur): non qualia vulgus librorum exhibet ab interpolatore nimirum adornata incredibilium longo ex tempore turbarum errorumque parente, sed qualia solus fide dignus Bambergensis a Ludovico Iano excerptus: 'Imaginum amorem flagrasse quondam testes sunt Atticus ille Ciceronis edito de iis volumine, M. Varro benignissimo invento insertis voluminum suorum fecunditatium septingentorum illustrium aliquo modo imaginibus, non passus intercidere figuras aut

'vetustatem aevi contra homines valere: inventor muneris etiam dis invidiosi, quando 'immortalitatem non solum dedit, verum etiam in omnis terras misit, ut praesentes 'esse ubique cludi possent.' In quibus verbis primum haud scio an post *volumine* non *et* potius addendum sit e libris deterioribus quam *M. autem Varro* scribendum: quando libro singulari simplicique enarrationi Attici et multitudo voluminum Varronianorum et singulare artificium quaesito acumine opponitur. In proximis autem etsi vel sic *aliquo modo* verba apparet ad *inlustrium* pertinere, non ad *imaginibus* quo olim solita sunt referri, tamen insolens ceteroqui durumque genus dicendi ad simplicem planamque consuetudinem haud dubitanter sic revocamus: *insertis voluminum suorum fecunditati septingentorum inlustrium aliquo modo hominum imaginibus.* Postremo, id quod longe gravius est, *cludi* vocabulum cum nec recte defendi posse nec recte emendatum a quoquam esse pridem intellexissemus ipsaque vi ratiocinationis Plinianae ad sententiae quidem talis necessitatem ducti essemus: *ut praesentes esse ubique ut diui possent*, verba ipsa scriptoris paullo post vidimus palmari emendatione a Martino Hertzio recuperata: *ubique ceu di possent*, in Gerhardi Diariis archaeologicis vol. VIII, p. 144. Cuius emendationis tam manifesta veritas est ut, qui spernat, ad criticam factitandam factum esse negemus. Quodsi sprevit Sillígius, non valebit hoc contra: qui quidem, ut utamur exemplo, uno e multis, etiam lib. XXVI, § 14 tam patiens fuerit ineptissimorum *apud priscos* verborum, ut propositam in commentario de Varronis Disciplinarum libris p. 52 coniecturam, qua illinc ἀποψυχριστής vel fortasse ἀποψύκτης cognomen Asclepiadis medici eruebamus, non modo contemneret, sed ne commemoraret quidem. Sed haec in transcursu tantum.

Ipsum Hebdomadum nomen nemo unquam dubitavit quin hi libri inde traxerint, quod inlustrium hominum imagines non promiscue proponerent, sed per capita dispositas quae septenas imagines complecterentur. Atqui septingentae imagines vel centum hebdomades quindecim libris cum aliqua aequabilitate dispertiri nequeunt. Ergo primum praesto est liber εἰσαγωγικὸς ceteris libris quattuordecim pari consilio praemissus, quo compertum habemus et Rerum humanarum et Rerum divinarum et de lingua latina voluminibus singulos libros Varronem praemisisse, quibus 'communiter de omnibus' ageret. E quo prooemio iam in Musei phil. l. s. s. ea repetebamus, quae de 'septenarii numeri vi et facultate in multis naturae rebus animadversa' partim 'admodum conquisite', partim 'frigidiuscule' disputata ex primo libro Gellius III, c. 10 excerpsit. Eodemque O. Iahnius in Actis Societ. Saxon. a. 1850 p. 140 adn. 72 illa referebat, quae de imaginibus generatim exposita Plinius a § 4 ad § 16 perscripsit: quorum tamen partem eis potius scriptoribus tribueris, qui in auctorum indice libri XXXV praecedunt M. Varronis nomen: Messalae utrique, Fenestellae, Attico. Ergone quattuordecim qui restant librorum numerus satis aptus

videbitur centum hebdomadibus capiendis? Qualem distributionem apparet non alia ratione instilui potuisse, nisi ut aut septenas hebdomadas tredecim libri complecterentur, novem extremus, aut septenas libri duodecim, duo octonas, aut denique septenas singuli libri quattuordecim, duas ipse primus cum disputationibus isagogicis conglutinatas. At vero horum nihil est quod ulla probabilitatis specie commendetur. An aequabilitatis concinnitatisque in disponendis argumentis longe studiosissimum Varronem tam sui dissimilem quisquam sibi persuadebit in his potissimum libris extitisse, quibus vel nomen a numerorum συμμετρίᾳ inderet? cuius mirificum distribuendae materiae artificium cum Antiquitatium volumina XLI*) testentur tum ipsi de lingua latina libri XXV: quorum partitionem Musei phil. p. 506 et 525 sqq. videmur sat clara in luce posuisse. Nam his, quos ultimo loco diximus, etsi nondum desiit Bernhardyus Hist. litt. p. 662 ed. sec. tantum XXIV libros tribuere, tamen aut, quid inter certa ac dubia, vera ac falsa intersit, nosmet ne didicimus quidem, aut de XXV libris pertexta argumentatio nostra non coniecturae probabilitatem habet, sed demonstrationis necessitatem. Itaque de Imaginum libris nisi fallunt omnia, singulis libris Varro septenas hebdomadas dedit h. e. undequinquaginta imagines singulas, omnibus autem libris quattuordecim non plures quam DCLXXXVI imagines congessit: quem numerum non finite loquens Plinius, quippe in solam multitudinis notionem intentus, facillime potuit ad plenam septingentarum summam augere, a qua ille satis prope afuit.

Non promiscue distributas hebdomadas multo minus credibile est promiscuo argumento fuisse. Et primum quidem unius eiusdemque generis homines singulis hebdomadibus compositos esse cum res ipsa suadet ut credamus tum uno certo exemplo eoque longe evidentissimo prorsus persuadetur. Magnificentia enim villarum, atriorum, balneorum in Mosellae ripis conspicuorum ubi Mosellae laudatorem Ausonium Graecorum operum, quorum illa splendorem aemularentur, admonuit, exempli caussa quattuor artifices Graecos ex una hebdomade Varroniana nominatim commemorat v. 306 sqq.:

Forsan et insignes hominumque operumque labores
Hic habuit d e c i m o c e l e b r a t a v o l u m i n e M a r c e i
H e b d o m a s. hic clari viguere Menecratis artes,
Atque Ephesi spectata manus, vel in arce Minervae
Ictinus, magico cui noctua perlita fuco
Allicit omne genus volucres perimitque tuendo.

*) Hic numerus cum vel contra duplex Catalogi testimonium XLV libros prodentis tutandus fuerit, nunc unum saltem evanuit, postquam in codice scriptum esse ἐπιτομὴν 'antiquitatum ex libris XLI' compertum est: qui numerus ad veritatem proxime accedit.

Conditor hic forsan fuerit Ptolemaidos aulae
Dinochares, cui quadrato in fastigia cono
Surgit et ipsa suas consumit pyramis umbras —

e. q. s. Nec enim Scaligerum audiendum esse, non solitis argutiis haec longe aliam in partem interpretantem, sanissimo iudicio pridem Salmasius, Reinesius Var. lect. II, 1 extr., alii perspexerunt. Itaque de quattuor illis architectis cum longo ex tempore nulla dubitatio fuisset, nuper demum ab eadem caussa eos quos illi excipiunt versus segregandos esse Iacobus Bernaysius noster negabat admonitione utilissima. Qui hi sunt inde a 298:

Quis potis innumeros cultusque habitusque retexens
Pandere tectonicas per singula praedia formas?
Non hoc spernat opus Gortynius aliger aedis
Conditor Euboicae, casus quem fingere in auro
Conantem Icarios patrii pepulere dolores:
Non Philo Cecropius, nòn qui laudatus ab hoste
Clara Syracosii traxit certamina belli.

Vides quid hinc consequatur. An casu factum putabis quod, utrosque versus ubi sociaveris, ut sunt ab Ausonio sociati, nec plures prodeunt nec pauciores quam una hebdomade Varroniana conclusi septem architecti D a e d a l u s, P h i l o, A r c h i m e d e s, M e n e c r a t e s, C h e r s i p h r o, I c t i n u s, D i n o c h a r e s? E quibus quattuor etiam Plinius ut clarissimos omnium cum quinto Ctesibio, sed qui mechanicam potius inlustraverit, insignivit lib. VII, § 125: 'grande et Archimedi geometri'cae ac machinalis scientiae testimonium M. Marcelli contigit . . . .; laudatus est et 'Chersiphron Cnosius aede Ephesi Dianae admirabili fabricata, Philon Athenis ar'mamentario mille navium, Ctesibius pneumatica ratione et hydraulicis organis re'pertis, Dinochares metatus Alexandro condent*i* in Aegypto Alexandriam.'

Verum ne sic quidem concinnitatis studio satis factum. Nam ut illi Graeci sunt omnes, ita etiam alibi non miscuisse, sed discrevisse Graecos Romanosque homines Varro videbitur. Nam patriae quidem virtutis laus ac gloria quam longe in Imaginibus patuerit, luculento testimonio Symmachus ea epistula docet, quae in lucem protracta a Ludovico Carrione Emendat. II, 14, a Gaspare autem Scioppio e libro ms. correcta Verisimil. I, 7, nunc quarta legitur libri primi. Vbi ad patrem (non ad Ausonium Burdigalensem, quae Merceri coniectura fuit in Nonium p. 775) haec scribit quae infra posuimus: 'Studium quidem Menippei Varronis imitaris, sed 'vincis ingenium. nam quae in nostrates viros nunc nuper condis epigrammata, puto 'hebdomadon elogiis praenitere, quod aeque sobria, nec tamen casca sunt. illa bono 'metallo cusa torno exigi nescierunt: haec duriorem materiem nisi fallor admittent.*)

*) Vulgatur 'quod *haec* aeque sobria, nec tamen casca sunt. illa bono metallo cusa torno exigi

'ille Pythagoram qui animas in aeternitatem primus asseruit, ille Platonem qui deos 'esse persuasit, ille Aristotelem qui naturam bene loquendi in artem redegit, ille 'pauperem Curium, sed divitibus imperantem, ille severos Catones, gentem 'Fabiam, decora Scipionum totumque illum triumphalem se-'natum parca laude perstrinxit: tu ruinam proximae aetatis illuminas. difficile 'factu est ut honor angustis rebus addatur.' Tot igitur Romanae praestantiae exempla cum vix dubium sit quin constanter Varro integris hebdomadibus comprehenderit, iam illud quaeritur, quam rationem voluerit, vel ut etiam distinctius dicamus, quam proportionem inter Graecas et Romanas hebdomadas intercedere: quando nullam omnino proportionem curasse nullo modo credi curiosissimus alioqui disponendi artifex et tamquam architectus potest. Itaque cum facile quispiam coniciat ex Imaginum libris quattuordecim septem priores Graecis hominibus destinatos fuisse, Romanis totidem posteriores, hunc tamen ordinem continuo excludit Ausonii testimonium, qui e decimo libro Graecorum nomina architectorum petebat. Et tamen ut par fuisse numerus Romanarum hebdomadum atque Graecarum credatur, ipsa aemulatio monet qua semet aequiperare Graecis Romani contenderunt, deditissimumque patriae studium Varronis, tot aliis documentis elucens, suadet inprimis. Qui si, ut exemplo utamur, in eo libro quo honoris poetici exempla inlustrabat, quattuor pleiadas e Graecis poetis composuisset, tres e Romanis, parum profecto vel popularium suorum ambitioni vel suo sensui satis fecisset. Quae cum ita sint, vix aliam viam relictam videmus, nisi ut quattuordecim imaginum libros animo nostro informemus septem dyadibus divisos, quarum unaquaeque uno libro totas Graecas hebdomadas praemitteret, altero his totas Romanas subiungeret ex eisdem vel maxime finitimis generibus petitas: eam quidem in speciem ut ad Graecos homines integri libri II. IV. VI. VIII. X. XII. XIV spectarent, ad Romanos integri III. V. VII. IX. XI. XIII. XV. Quamquam pro Graecis haud scio an rectius exteros potius dicamus, cum credibile non sit Hannibalum, Mithradatum similiumque clarissima nomina a Varrone praetermissa esse: quemadmodum altera ex parte Romanos non dubitabimus liberalius interpretari Italos, quorum coniuncta virtute facile perspicias opus illi fuisse ad Graecorum laudes non bellicas exaequandas. Vt fortasse non fallat coniectura, a Varronis potissimum auctoritate profectum Romanorum exterorumque exempla dedita opera Valerium Maximum composuisse. In istiusmodi autem dispo-

---

'nescierunt *et* duriorem nisi fallor materiem *adniteris*.' Quod sic saltem dicendum fuerat: 'illa . . . . nescierunt: *tu* duriorem nisi fallor materiem adniteris': quanquam vel hoc non una de caussa displicet. Nos ab eo profecti sumus quod ante Scioppium edebatur: 'et duriorem nisi fallor materiem admittere'. Hoc enim sibi vult scriptor modesto nimirum acumine: splendori Varronianae aetatis non parem esse rudiorem artem Varronis, maiore elegantia Symmachianorum elogiorum compensari temporum suorum humilitatem.

sitionem vide quam egregie congruat de Graecis architectis decimum librum occupantibus memoria. Paris igitur, non imparis numeri librum Nonius adposuerat p. 528: 'lucis numero plurali, quod sunt dies. Varro ebdomadum * sub imagine 'Demetri: *hic Demetrius est catus quod lucis habet annus absolutus*': sive *ebdomadum VIII*, sive (quod amplectimur libentius) *VI* vel *IIII* scriptum fuit. Ceterum quam praeclara emendatione elogium illud Demetrii Phalerei Iosephus Scaliger in Catalectis p. 220 ed. a. 1617 instauraverit, satis inter omnes constare putamus:

Hic Demetrius aeneas tot aptust,
Quot lucis habet annus absolutus:

nisi quod rectius Schraderus *aereas* substituisse recte iudicatur. — Contra ad Romanum hominem, si modo de ordine Varroniano probabiliter statuimus, non ad Graecum illa pertinebant quae e nono libro Charisius servavit p. 121: 'Varro hebdo'madon nono: *a uulgu condemnaretur*.'

At vero huic disponendi specie aperte repugnare Gellii testimonium videtur 'quod est in capite 11 libri III ad Homerum pertinens: 'M. autem Varro in primo de 'imaginibus, uter prior sit natus, parum constare dicit, sed non esse dubium quin aliquo 'tempore eodem vixerint, idque ex [*immo* et] epigrammate ostendi quod in tripode 'scriptum est, qui in monte Helicone ab Hesiodo positus traditur.' Et in fine capitis: 'De patria quoque Homeri multo maxime dissensum est. alii Colophonium, 'alii Smyrnaeum, sunt qui Atheniensem, sunt etiam qui Aegyptium fuisse dicant. 'Aristoteles tradidit ex insula Io. M. Varro [*immo* Io. ideo M. Varro] in libro de 'imaginibus primo Homeri imagini epigramma hoc apposuit:

Capella Homeri candida haec tumulum indicat,
Quod hac letae mortuo faciunt sacra.'

Verum enim vero hoc argumento quia nimium probatur, probatur nihil. Quod si eo valeret, ut Graecae hebdomadi locus fuisse in imparis numeri libro credendus esset, simul hanc vim haberet ut ipse primus liber non posset praefationi totus tribui, sed aliquid ipsarum imaginum acciperet: id autem quam abhorreat a veri similitudine, supra declaratum est. Quocirca non dubitabimus liberiore quae in promptu est interpretatione uti Gelliique verba in eam partem vertere ut ille, ubi subiectum Homeri imagini epigramma adiectamque de illius atque Hesiodi aetate disputationem excerpebat, non curasse praemissam universo operi praefationem existimetur, sed primum librum dixisse qui reapse primus esset imagines ipsas repraesentans. Ergo in secundo potius, si ad amussim fit numeratio, Homerus et, ut consentaneum est credere, Hesiodus locum invenerant: unde consequens est, ut latinos poetas tertius persequeretur.

Integrae hebdomadis praeter eam quam Ausonius testatus est nullius nomina comperta habemus. Nisi quod aliquis fortasse in hoc genere coniecturae locus est.

Et primum quidem cum medicorum inlustrium duplex apud Plinium recensio exstet, altera lib. XXVI a § 10 ad 12, altera lib. XXIX § 4 sqq., non inepte profecto suspicere alterutro loco Varronis illum imagines ante oculos habuisse. Posteriore autem quoniam et minus finito numero et hebdomadem excedente enumerantur Hippocrates, Prodicus Selymbrianus, Chrysippus, Erasistratus, Acro, Herophilus, Asclepiades, Themiso, Antonius Musa cum aliis qui illos excepere, non potest non eo inclinare animus, ut ipsum septenarium numerum explentia nomina illa, quae prioris loci satis concisa mentione sociantur, ad Varronem auctorem referantur: Hippocratis 'qui primus medendi praecepta clarissime condidit', Diocli Carystii 'qui secundus aetate famaque exstitit', Praxagorae, Chrysippi, Erasistrati, Herophili, Asclepiadis. Quod cui non improbabile videbitur (et nominatim 'M. Varronem auctorem' Plinius in eo ipso argumento laudat § 14), simul habebit cur in componendis hebdomadis non neglexisse Varronem temporum rationes sibi persuadeat. Nam poetam quidem Ausonium non est mirum suo arbitratu architectos Varronianos enumerare, qui e temporum ordine sic potius se excipiebant: Daedalus, Chersiphro, Ictinus, Philo, Dinochares, Archimedes: quando de septimo Menecrate prorsus incomperta res est. Ceterum altero loco illo Pliniano quoniam Varronis item mentio fit § 4, in promptu est de Disciplinarum libris cogitare, quorum octavus, qui fuit 'de medicina', illic explicatam materiam suppeditare potuit.

Paullo etiam plus fidei, nisi fallimur, statuariorum hebdomas habet Henrici Brunnii nostri acumine indagata in XXXIV libro Plinii. Cuius de arte illa clarisque in ea artificibus (non de operibus) iudicia bonae frugis plena cum non alii nisi Varroni deberi satis ea disputatio persuaserit quam in Actis Soc. Sax. anni 1850 a pag. 127 ad 136 Iahnius pertexuit, tamen illa quod e libris 'de proprietate scriptorum' a Varrone factis repetuntur, id suapte natura ita comparatum est ut, etiamsi redargui certa demonstratione nequeat, tamen ne certae commendationis quidem quicquam habeat, in tanta praesertim argumenti, quo eos libros fuisse suspiceris, obscuritate. Ergo ab ipsius Iahnii expositione profectus Brunnius talem fere, qualem nostris verbis explicatam subiecimus, ratiocinationem nobiscum communicavit. Etenim tres tenendum esse omnis disputationis Plinianae partes esse, discretas inter se utpote e diversis fontibus haustas: primam quidem chronologicam: alteram, quae a § 54 incipiens in designandis artis principibus tota consumitur: tertiam, cuius initium fit a § 72, alphabeticam. Harum partium media, quam non immerito paradigmaticam dicas, a § 54 ad 67 quinque statuarios recenseri iudicarique Phidiam, Polyclitum, Myronem, Pythagoram, Lysippum. Ad Varronem haec quinque iudicia recte referri: indidem igitur consentaneum esse etiam eas quae reliquae sunt paragraphos 68—71 repeti. Quae quattuor paragraphi cum in Telephanis et Praxitelis, statuariorum item, laudibus versentur, septem prodire unius generis artifices, quibus partem paradigma-

ticam Plinii omnem concludi. Quo sit grave indicium fieri eis libris Varronis in illa parte conscribenda Plinium usum esse, in quibus ipse septenarius numerus regnabat. Fatendum est sane ignobiliorem reliquis Telephanem exstitisse, et fassus est Plinius ipse non sine mirationis quadam significatione, in parte autem chronologica ne commemoraverat quidem: at eundem tamen idem Plinius addit eorum suffragiis, qui compositis voluminibus artem complexi sint (quorum in numero iam intellegimus Varronem fuisse), et miris laudibus celebrari et Polyclito Myroni Pythagorae aequari. Praeterea nec profecto inter architectos clarior Menecrates fuit, nec illud praetermittendum, non liberam Varroni optionem fuisse, sed necessitatem potius eorum deligendorum, quorum alicunde petitas imagines in promptu haberet. Quae venia etiam ad Pythagoram pertinet, vix inlustriorem Alcamene, Agoracrito, Ctesilao, aliis. Verum eo tamen maior Telephanis, si cum ceteris confertur, ignobilitas valuit, ut multum aetate antecedens Lysippum huic tamen postponeretur a Plinio: nam a Varrone quidem dubitari nequit quin ille cum Phidia Polyclito Myrone Pythagora consociatus sit, quos prorsus eodem ordine collocatos habes in parte chronologica Plinii § 49. At vero qui item praemittendus Lysippo fuit, Praxiteles cur et ultimum locum occupare et sine ullo artis iudicio dimissus esse putabitur? Permiri sane primo aspectu et ordinis et silentii caussam felici acumine aperuit Brunnius. Quippe 'marmore felicior, ideo et clarior fuit' ipso iudice Plinio § 69: quo proprium ei locum in sculptoribus attribuens satis significat cur a reliquorum statuariorum societate Varroniana ut alieniorem seiunxerit. Ergo iudicium quoque de eius arte a Varrone factum posteriori de sculptoribus disputationi reservasse, eo autem loco immemor consilii imprudenter omisisse videtur. Quae autem ratio contra Praxitelem apud Plinium, eadem apud ipsum Varronem, nisi coniectura fallit, contra Scopam valuit. Cui suus locus recte in sculptorum hebdomade fuit, siquidem uno tandem aeneo opere statuarius vel innotuit vel inclaruit: quode in Historia artificum vol. I, p. 325 dixit Brunnius. — His igitur sic disputatis nihil iam impedit, quominus statuariae artis proceres Varro hoc ordine et descripsisse et delineasse credatur: Phidiam, Polycletum, Myronem, Pythagoram, Telephanem, Praxitelem, Lysippum.

Haec sunt quae de argumento et dispositione Hebdomadum vel sciri vel cum aliqua probabilitate conici possunt: cetera vel obscura vel ambigua omnia. Inter librum secundum, quo poetae, et ut putamus soli poetae comprehendebantur (quando ab Orphei Musaei Olenis et similium nominibus ordiri, desinere in pleiadibus Alexandrinorum potuit) et decimum, quo architecti, sed certo non soli, apertum est medium aliquem locum philosophos obtinuisse, e quorum hebdomade Graeca Pythagoram Platonem Aristotelem Symmachus commemoravit: quem locum obtinuerint, nullo indicio patet. Quodsi poetas exceptos esse a prosae orationis scriptori-

bus statueris, historicis, philosophis, oratoribus (et in oratoribus nisi fallimur Demetrius fuit), est hoc quidem satis simile veri, sed profecto non est satis ad ter septem hebdomadas librorum IV. VI. VIII complendas: ut in Graecis nunc subsistamus Romanorumque in hoc genere penuriam ne curemus quidem. Nec satis prosunt artifices: sculptores, scalptores, caelatores, plastae h. e. fictores (si modo tam minutatim distinctum est), pictores, musici, saltatores, actores: qui sive sociati cum architectis sive non sociati unius libri h. e. septem hebdomadum ambitum vix excedebant. Nec plus quam unius hebdomadis spatium medici poscebant. Quos omnes tametsi facile credimus non post librum decimum (sive adnumeratis Romanis undecimum) locum invenisse suum, sed illum praecessisse potius: — nec enim architectis commode praemitti reges, imperatores, rei publicae gerendae principes potuerunt, nec horum ubertati splendidissimae concessum post librum undecimum quattuor librorum spatium etiam in arctius contrahere animum induces: — tamen ad tot hebdomadum capacitatem ut satis materiae conquiratur, omnino non est in litterarum artiumque luminibus subsistendum, sed aliquid copiarum, vel ut verius dicamus, aliquammultum longe aliis e recessibus asciscendum. Eoque illud ipsum spectat quod Varronem Plinius dixit septingentorum a l i q u o m o d o inlustrium hominum imagines composuisse. Quae notio quantam generum varietatem admittat ut in aperto est, ita licebit fortasse paullo distinctius ipso duce Plinio definire. Hunc enim cum iam supra viderimus quattuor ex septem Varronianis architectos libro suo septimo nominare, hoc est eo libro quo tamquam florem generis humani libavit (ipsius verba § 123 imitamur) et quicquid aliquo modo memorabile in fingendis hominibus natura praestitisset, dedita opera designavit, fieri potuit profecto ut ex Hebdomadum recordatione aliquid etiam in ceteris partibus proficeret. Non de talibus potius nunc cogitamus quale est quod post factam Apellis mentionem quattuor pictores § 126 sociavit Aristidem, Timomachum, Bularchum, Protogenem a praestantia et caritate tabularum notabiles: quam de illa capitum diversitate rerumque dissimillimarum congerie, cuius initium fit § 33. Vnde praesto sunt (ut ordinem Plinianum servemus) non consueto partu editi, insolita corporis vel figura vel mensura vel firmitate aut infirmitate vel patientia insignes, cursores, oculorum auditusve acie valentes, non usitata vi memoriae praediti: praesto sunt exempla fortitudinis, probitatis, pudicitiae, pietatis, item variae in degenda aetate felicitatis, longaevitatis, generum mortis: praesto est denique in deliciis habitum caput longe uberrimum quod est de inventoribus. Praeterea locorum communium multitudinem Hebdomadis aptorum facili negotio e Valerio Maximo coacerves, praesertim si in morum disciplinam Varronem longius exspatiatum credideris. Adde vitae condiciones singulares, quae nec nullo nec proximo cum ipsis artibus et litteris vinculo coniunctae sunt: nec enim magis et vatibus, chresmologis cum Sibyllis, sacerdotibus, legum latoribus,

id genus aliis erat cur locus denegaretur, nec magis credibile est septem sapientes Graecorum quam septem reges Romanos praetermissos esse.

Non mehercule ullo modo contendimus illa genera omnia Imaginum voluminibus suis Varronem persecutum esse: sed exemplo esse tantam celebritatis copiam et varietatem volumus, quam multiplex inlustrata a Varrone materia esse potuerit: sed argumento, quam nihil in hac certorum testimoniorum paucitate cum aliqua confidentia divinari de illorum librorum partitione possit. Nisi quod ita etiam magis perspicitur, quomodo illud Varro instituere potuerit ut exterae et domesticae virtutis laudes aliquo modo exaequarentur. Nam si in quibusdam partibus vix habebat sane Romanorum inopia quod cum Graecorum praestantia contenderet*), tamen satis videri potuit aliquando simili generi simile substitui, modo haec lex observaretur ut in singulis librorum dyadibus septemplici honori peregrino septemplex Romanus responderet.

---

*) Dum in eo est typographus ut prelum exerceat, novas quasdam meditationes suas nobiscum Henricus Brunnius communicat, unde forsitan aliquid lucis in eam quam supra tetigimus quaestionem redundet. Apud eundem enim Plinium, cui memoriam hebdomadis Varronianae antiquos statuarios complexae deberi, in eodem libro XXXIV, in fine partis chronologicae, ad eandem artem pertinentia septem nomina haec componi § 52: 'Cessavit deinde' (post olymp. CXXI) 'ars ac rusus olympiade CLVI revixit, cum fuere longe quidem infra praedictos, 'probati tamen A n t a e u s, C a l l i s t r a t u s, P o l y c l e s Athenaeus, C a l l i x e n u s, P y-'t h o c l e s, P y t h i a s, T i m o c l e s.' Nec enim de artifice Athenaeo cogitandum videri, sed de Atheniensi Polycle. Non igitur dissimile veri esse ex Imaginibus Varronis hanc quoque hebdomadam statuariorum manasse, de quibus in Historia artificum dictum vol. I, p. 535 sqq. Vna vero eademque aetate illos comprehendi, quae fuit circa tempora expugnatae Corinthi. Esse autem hanc eam aetatem, qua Romam ars Graeca migrarit novumque ibi et proprium domicilium statuerit: ut, quam artem quosque artifices tanquam nova mater in sinu suo urbs Roma foveret, participes quodam modo ipsius civitatis Romanae fierent. Itaque fieri potuisse ut in tanta penuria statuariorum, qui Italica stirpe oriundi aliquam famam nacti essent, veterum Graecorum hebdomadi Varro in proximo libro hebdomadem posteriorum opponeret, qui, quanquam peregrina origine, tamen velut adoptaticiorum in loco a Romanis haberentur, ut et nobilitantes novam sedem et ab eadem nobilitati ipsi. Atque ita etiam magis intellegi quam vim illud habeat, quod tum r e v i x i s s e artem scribit Plinius: item, cur ab CXXI ad CLVI olympiadem tanto temporis hiatu subito transiliat. — De qua coniectura omni penes alios iudicium esto. Vnum hoc addimus, magna cum probabilitate similem ratiocinationem ad A e n e a e personam transferri, cui locum in *Εἰκόσι* Varronis Ioannis Lydi testimonium tribuit de magistr. I, 30. Nam hunc ut suum sibi vindicare consueverunt Romani, ita Varronem potissimum a Graecis heroibus segregasse eo credibilius est, quo aegrius in hoc ipso genere ad abundantiam Graecorum Italicae antiquitatis inopia appropinquabat. — Ceterum in perlustrandis classibus hominum inlustrium, quae Varroni suppeterent, supra potuit etiam athletis locus tribui atque gladiatoribus, potuit aliis ludorum publicorum victoribus, potuit claris mulieribus.

Novo exemplo intellegitis, commilitones carissimi, quam vere dicatur esse etiam nesciendi artem quandam, qua neglecta ne sciri quidem recte et cum ratione possit. Quanquam unum est in hac quae ad Imaginum libros pertinet quaestione, quo illam nesciendi commendationem minime valere volumus. Enimvero mirari vos suspicamur quid sit cur ne uno quidem verbo illud quaesierimus, quo tandem et quali artificio usus M. Varro cum posteros benignissimo invento demeruerit tum munere etiam dis invidioso maiorum famae consuluerit: de quo constat longo ex tempore summam dissensionem esse et doctorum hominum disceptationem acerrimam. Id autem quale sit etsi sane sciri potest et ita sciri ut, qui se *γραμματικὸν* haberi velit, dubitationi locum nullum relictum inveniat, tamen cum non nostrum sit et benignissimum et longe simplicissimum inventum (nam *ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ*), sed alienis studiis debeatur, ne lineas modestiae transilire videamur, tacere nunc quam aliena antevertere praestabit. Ergo valete sciendique cupiditatem cum verecundia nesciendi etiam in vestris studiis, quorum largissimam vobis in eis quae subiectae sunt tabulis supellectilem propositam videtis, sapienti temperamento miscete. Datum Bonnae m. Quinctili a. CIↃIↃCCCLVI.

END OF TITLE